



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies
Distribvtis**

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Torpes Mart. 17. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

patriam obfidentes omnes egit in fugam, cùm unicū ipse signū crucis explicasset. Pacis ingeniosissimus artifex, contra injurias cautes inexpugnabilis fuit. Sed utriusque documentum cape. Scissa in factiones geminas urbs, pugnabat in viscera sua. Adebat UBALDVUS medius inter saxorum & telorum iectus, cadit deinde. Hic verò omnes arma abjicere, damnare discordiam, quæ parricidas cives fecisset. Tum deniq; à piè simulata morte surgere UBALDVUS, & partam unius eaque ludicrā morte pacem civibus gratulari. Ultimæ fortis homo, & unico suo cämento memorandus, Pontificem in calcis scrobē dejecerat, non tam cœno quam ignominia aspersum. Ilicet amici civesque scelus urbe exigere, & ipsas improbi domini ædes velle demoliri. At ajebat UBALDVUS, graviori suppicio vindictæ litandum. Sese vindicem sui exemplum editurū, quod urbs, quod orbis miraretur. Interea pro tribunali sedet: adebat reus, vel se judice nullâ non morte dignus. Ergo sententiam profert UBALDVUS, & inaudito suppicio reum damnat AD OSCULVM. Non multo sanguine, ais, se vindicavit, sed certè, ut non nemo inquit, rubore multo. Ex Brev. Rom. Pet. de Nat. & Surio.

Obediamus Christo, & furentium fratrum morsus, verbera, onera, pietatis Virtute portemus: ut & frates nostros liberemus à poena, & patientia premium consequamur: nec dedignetur servus hoc accipere à conservis, quod Dominus à servis & pro servis dignanter accepit. S. Pet. Chrysol. serm. 28.

S. TORPES MART. 17. Maii.

R Aram avem vides, & albo simillimam corvo, Raulicū, inquam, plium ex aulâ Neronis impii.

TOR-

TORPES est D. Paulo familiaris, & in fide, quem admodum fertur, Angeli discipulus. Hic tyranni æmulam cælo machinam , & quâ ille mortalibus velut alter in terris Jupiter illudebat, solis precibus destruxit, flumineque cælos vanissimos & orco mersit. Ilicet Nero Jupiter hoc damno multatus graviter detonuit, omnibusque pœnis in TORPETEM fulminavit, sed ex pelvi. Nam alapam primò Sabellici judicis generosè devoravit. Columnæ deinde alligatus, tortusque crudeliter, Samson ipfissimus fuit. Quid! quod corruens columnæ extium attulit Sabellico, salvo & incolumi nostro Samfone? Ergo Silvius Sabellici filius, heresque idem crudelitatis, rotæ radiis lacerandū illigavit, bestiis objecit, semper illæsum, quæ res Evellio consiliario Imperatoris persuasit, ut sibi consuleret, fidemque Christi amplecteretur tot miraculis probatam. Ambo itaque cæsi securi sunt. Post TORPETIS corpus fatigenti naviculæ impositum, additusque gallus & canis, ut illud vel his, vel cum his piscibus foret esca. Sed Angelo remige in Hispaniam appulsum exceptit Celerina honestissima matrona, non aliter quam opes ex divite Indiâ apulsas, tumuloque augustissimo donavit. Addidit deinde pietas Christiana templum. Nam cælum nuper jam Superi dederant, ex quo ille hodie etiam ridet mimicum Neronis cælum. Ex Bar. Pet. de Nat. & tom. 6. ant. lect. Can.

Quatuor sunt, quorum in hac vitâ obsequiis deservimus: Caro, Mundus, Diabolus, Deus. Caro largius servitoribus suis momentaneam voluptatem: Mundus transitoriam sublimitatem; Diabolus perpetuam capitatem; Deus interminabilem felicitatem. S. Bern. serm. 3. Epiph.

S. ERI